

Bibliothèque numérique



Bertrand, Thomas Bernard - candidat /
Dodart, Jean-Baptiste - président. - An
exercitatione carentibus, Purgatio ?

1709.

*Paris : Typis viduae Francisci
Muguet, Regis & Facult.
Medicinae Typographi*
Cote : ms 2325 n°39

185

39



QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM.

Die Jovis decimâ quartâ Martii 1709.

M. JOANNE-BAPTISTA DODART,
SERENISSIMORUM BURGUNDIÆ, ET BITURICI
PRINCIPUM,
MEDICO PRIMARIO,
PRAESIDE.

An exercitatione carentibus, Purgatio?

I.

UI sanitatem diligit, exercitationem non neg'itat, quâ non solum bonam valetudinem, verùm etià corporis robur assequetur; non illud quidèm palæstricum, neque quod carne cutim distendat, incruster, infarciatque foris; sed quod partibus maximè vitalibus, maximèque nostris, vini internam, vigoremque verum, ac genuinum inserat. Exercitatio est motus corporis paulò vehementior, sanitatis tuendæ, vel habitûs boni comparandi gratiâ, factus. Tām arctè cum vitâ copulatus est motus, ut non priùs animantibus luce frui, quam moveri, concedatur: varias membrorum agere contractiunculas, modò repere, modò saltare, homines ac belluae, quasi naturâ gaudente, nascendo conspicuntur. Hic cæcus naturæ impetus, necessariae ad vitam exercitationis, rudimentum est, & significatio non inepta. Hinc nobilis illa Medicina pars, Gymnastice dicta, quæ primùm hominum voluptati, deñ Deorum honoribus antiquitùs inserviebat.



0 1 2 3 4 5 (cm)

2

Varia enim sunt exercitationem genera, quæ non æquè omnibus prosunt; valida robustis, & crasso cibo utentibus, salutaria; mediocria, medio modo se habentes ineant; debilibus exerceantur senes, & imbellles. Sèd ut raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet, ita diversum exposcit partium varietas exercitii genus. Sic labantes coxas, malè tutos pedes, saltatio firmare perhibetur. Spleneticos, & siccâ vexatos tussi, cursu sanari Veterum experientia fuit. Alvo nimis solutæ, ac hydropicis maximè subvenit equitatio. Ambulatio recta, non flexuosa, non plana, sub dio, non in porticu, si verò in umbrâ, non quæ tecto subest, sèd quam parietes, aut viridaria efficiunt, stomacho malè coquenti, atque obsonandæ fami, utilissima; Sicut & disputatio, & clara lectio; nèque has à labore abdicare oportet, exercitationes ingenii sunt, curricula mentis, quæ dum animum exhilarant, corpus jucundè exercent.

II.

EA est temporum nostrorum ignavia, & luxuries, ut omnes ferè, quibus vultu ridet fortuna sereno, vix se lecto eximant, & jam paratis accumbant mensis, adhuc penè oscitantes; cibis onustos currum descendere, aut in eo sepeliri videas; totâ nocte aleatoriis lusibus invigilare, dubiis immergi cænis, atque somno indulgere desidiâ reluctantante. Sic ex otio in otium pari jucunditate transitur; sèd nè voluptates istæ satietate languescant, illis instar exercitationis est, otii mutatio. Ex hoc laxo & inertissimo vitæ genere, mirùm quantæ ingruunt corpori calamitatum turba; fœcundus vitiosorum succorum proventus, virium debilitas, causaria vita, ac functionum prolapsio. Functionum integritatem arbitraberis expeditum liquorum fluxum, secretionum, & excretionum tenorem constantem, partium solidarum robur, & ad exiliendum aptitudinem: his omnibus ex æquo favet exercitatio, optatâ valetudine leve laboris onus pensatura. Sic videoas corpora laboribus dedita, licet interdùm pravis enutrita eduliis, vegetiora esse, & florido habitûs colore suæ constitutionis bonitatem attestari. Plùs cibi sumitur, quām quo vivitur: alimentorum multò pars maxima excrementsa sunt, quæ pelli amant, aut suâ sponte exire, vel arctis foraminulis, vel satis patulis & apertis canalibus; illa transpirationis sunt, æmula fumo; hæc excretionum, sensibilità magis. Hujusmodi opera simûl absolvit blanda & æquabilis succorum fermentatio, succutientium fibrarum nîsus, & motus identidem reciprocandus. Chyli, succorum omnium originis, dupli instrumento opus perficitur, fermentatione scilicet, & tritutâ, utraque exercitio promovenda. Quippè abdominis musculi & diaphragma agitatione corporis, validiores edunt nîsus, robustiores succussus, qui dum alimenta minutius atterunt, eorum corpuscula ad fermentescendum intius remiscent. Lætea hæc materies, ut vitalis flammæ pabulum, si pura, si benè subacta; ita plurimorum morborum parens, si incocta, si fœculenta. Unde in glandulis, in ductibus lymphaticis concreta, sicut pressi copia lactis, excrementum fit, quæ modò chylus erat. Sic sanitas laborando floret, marcescit quietendo, & depravatâ impuritatum colluvie, labant solidarum partium potentiaz, liquorum virtutes hebesunt.

III.

SANITATIS studium esse, neque expleri cibis, neque impigrum esse ad laborem, jam olim proditum est. Ignavia enim corpus hebet, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Sic quem interdiu vel domestica, vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum cura-

3

tioni corporis sui est. Prima curatio , exercitatio est , quæ semper antecedere cibum debet : in eo qui minus laboravit , & benè concoxit , amplior ; in eo qui fatigatus est , & minus concoxit , remissior. Sancita liquidorum lex , quò illa tenuiora eò fluxiliora ; hœc enim tenuantur motu , rumpuntur agitatione. Vivida nervorum vis , jugi contentione firmatur , elater intenditur , si repetitis ictibus assuevit. His bonis carent otio lascivientes , quo corpus reddunt languidum , & excrementis onustum. Hâc ratione , nè quis miretur omnium ferè divitum sortem , pauperculorum fortunâ longè deteriorem. Illos avorum laboribus desidiosè victantes quandòque torquet podagra iners , pæoniâ majus arte malum ; polluit interdùm turpis hæmorrhoidum fluxus , calculi , renum & vesicæ foetus , excruciant : Sunt qui malo corporis habitu , obtuso , & obliتو stomacho , aut capite debili , vitam degunt miserrimam ; alii , variorum nervorum subsultibus , vel spasmis , vaporum nomine apud rude vulgus intellectis , dirè vexantur. Nèc fæmineum genus minoribus implicat pigritia malis ; amatoria adest febris , similis buxo pallor ; fœdum uteri profluvium , obsœna colluvies , aut peccati fructus : profluvia sanguinis , aut interrupta rejectio ; sœpè Lucina prolem denegavit , quibusdam sœva noverca. Verùm quemadmodùm corporis , sicut paritè & animi imbecillitate laborant ; nemo satis mentis compos , ut se suis malis causam dedisse arbitretur : falsam quisque culpam propriæ imputat constitutioni , sœpè vitiæ insonti ; atque suæ desidiae patrocinium in accusationem non merentis naturæ habet. Melius enim saluti suæ consulerent , si ignavum illud vitæ genus immutarent , à quo succorum vitiosorum , varias occupantium partes , fecunda in dies generatio sit , quæ ut exercitio securè præcavetur , ità otio luxuriat , & sanitatem pessumdat.

IV.

FOECUNDAM malorum segetem inertiam multum exuberantem succidi , aut penitus exarescere satagis ? prætò est tibi frequens purgatio , exercitii supplementum , quā non minus corpus impuritatibus fôrdidum abstergitur , quām ferrum rubigine infectum , limâ nitescit. Nèc tibi scrupulum , aut dubitationem injiciat ignavus quorundam timor , qui purgationis inimici , falsis eam criminibus urgent : hâc scilicet paulò frequentiori stomachum , atque vires frangi , & disfolvi , pardūm ali corpus , importuno servilitè assuescere stimulo , turbari principia sanguinis , cui , ut & etiā partibus malignum quid inuri ; sed malus interpres rerum metus. Tu ergò impavidus perge , relictis æstuationi suæ istis hominum turbis , purgationem institue , superfluitatis , & redundantia genuinum remedium. Corpora otio affluentia , orgasmo sœpiùs detenta non ineptè dixeris , in quo purgationem procrastinare , piaculum est. Orgasmi nomine intelliges , succos edomari indociles , fluere recusantes , vasos conclusos , aut membranis fibrisque sine inflammatione infixos , atque lentâ quasi panis , fermentatione turgescentes , quos solidorum quoniā elaterem emolliunt , & liquidorum motum præpediunt , quām primum purgationi committere , consultum est , crudos licet & minimè subactos , quia quò diutiùs retinentur , eò plus crassescunt , & infarctus augent. Totâ errant viâ , qui Galeni autoritate delusi , orgasmi rationem ponunt in humoribus desolutoriè excursantibus , & velut cœstro percritis ; nihil à ratione , & à summi dictatoris ingenio absonum magis. Quis tam in Medicinâ hospes , qui modò sit circularis sanguinis motus utcumque gnarus , turgentes succos adeò furibundè tumultuari , comminiscatur ? Sed esto ut lubet , ferantur irrequieto motu turgentes succi , nonnè in vasos ? nemo id inficiari audebit ; ideo statim purgandum ? puerile propè

deliramentum est. Furentis sanguinis, & partes molestantis seditiones, non purgatione, sed venâ incisâ pacantur. Quid frequentius in acutis morbis illâ succorum agitatione errabundâ; currare raro in istis purgandum? quorsum illa dictatoris plurima verò non turgent. Purgare ergo convenit humores exuperantes, qui sanguinis circuitione multitudine præpediunt, qui indigesti, & crudi ægrè cum illo commiscentur; sic triturna vim elidunt, & fermentationes enervant, id est, turgent. Hæc cum raro in acutis contingent, in quibus sæpè sanguinis fumidus, atque altè spumis exuberat amnis, ideo raro in his, & cum præmeditatione purgandum, quia rarissimè succi in illis turgent. Hinc est, quod Veteres morbis à fero, aut multâ productis lymphâ apud eos pituitosis, non sanguinis missione, àst purgatione felicitè medebantur.

V.

DE S I D I A languentium, & turpiter feriatorum hominum saluti invigilas? Eos frequenti purgatione castigabis; vomitu interdùm. Verùm victum consule moderatum; nam interdùm accedit, ut isti medicamentis quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliantur. Verùm sicut exercitationis plerùmque finis esse debet quædam lassitudo, quæ citrâ fatigationem futuræ quietis condimentum sit; ita purgationis finis superfluitatum expulsio, quæ sinè molestiâ corporis levamen sit, animi alacritas; undè illa non procuranda nimis valentibus medicamentis, sed mitioribus. Sanguinis missio aliquando necessaria, in quibus liquor ille quantitate, & mole ad fluendum sibi impedimento est, aut in quibus facillime fermentescit, ad æstum inflammationemque paratior existit; cave tamè decipiaris, neque exercitium solo sanguine misso suppleri existimes, similitudinem quamvis, speciemque athletarum inertiae deditos gerere plerùmque videas. Fallax enim roboris larva est, fumo fugacior. In illis, sicut cætera, languet etiàm sanguis, spliatus sæpè principiis activis. Experiendi constat plus sulphurum crudorum, quam volatiliū salium, cruorem desidiosorum, fundere chymica subiectum analysi: idem prorsus reperies in eorum sanguine, quibus vena fuit pluriè tusa. Sic ad mitten-dum benè sanguinem liquorum statûs te concium esse expedit, solidarum partium conditionis non nescium: crassi illi, & vapescentes, hæ verò laxæ & mollitudine infirmæ, purgatione magis, quam sanguinis missione reparantur. Sic nervosi staminis resiliendi virtutem excitabis, quantitatem superfluitatum demes, eodem remedio bellè qualitatem emendaturus. Qualitatem? Ita est. Purgantium enīm aculeis, ut intestina irritari, non minus succos liquari, digeri, subigi, quotidianus demonstrat usus. Hinc apud Veteres pravorum succorum copia, unicus fuit purgationis scopus, & intentio germana. Quidn & tu, dum veterosam vivendi rationem corrigere nequis, chylum crassiorem, crudiorem lympham, bilem compactiorrem, enervata corporis stamina, purgatione pèr intervalla institutâ non emendabis?

Ergo exercitatione parentibus, Purgatio.

Proponebat Parisiis THOMAS BERNARDUS BERTRAND,
Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1709.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.